

nisterialis & Mareſchalli Moguntini, etiamſi ex parte *matris debeat eſſe miniſterialis imperii*, miniſterialem fieri Moguntinum & paterno miniſterio in eccleſia Moguntina deſungi; idque ex gratia indulſit imperator. Arnoldus, praeful Moguntinus in charta A. 1155. 1) matrimonium refert Reinoldi, *Quedlinburgenſis eccleſiae Miniſterialis*, cum *quadam miniſteriali eccleſiae Moguntinae* Methilde, filia Theodoricide Geiſmar, unde, pergit, *proles quam ex ea genuerat, quia eccleſiae Moguntinae attinebat, nec praedia nec beneficia, quae ipſe a Quidlinburgenſi habebat eccleſia, ſecundum ius regale poterat obtinere.* Inde pro miniſterio & beneficio paterno, Reinoldo conciliando, concambium miniſterialium inter utramque eccleſiam initum eſt.

IV.

Dominorum itaque tantum interſuit, habere feminas miniſteriales, quantum intererat, ſeruare in miniſterialium ſuorum poſteritate nexum miniſterialitatis. Ut enim *proles miniſterialium* ipſis eodem nexu eſſet obſtricta, miniſterialem ex familia ipſorum, ita videlicet nuncupari miniſteriales omnes eidem domino ſeruientes ſolebant, uxorem ducere oportebat in matrimonium. Ex quibus perſpicitur ratio, quare non modo miniſterialium maſculorum non minus ac feminarum connubia ad Dominorum conſenſum ſaeppiſſime ſint adſtricta, verum etiam domini, ſubinde diligenter

1) Ibid tom. I. p. 221.

ter prospexerint, ne eorum ministeriales cum alterius potestatis ministerialibus matrimonio iungerentur. Si enim ministerialis nuptias feminae extraneae ministerialis adpetebat, liberi ex illis nati, ob conditionem matris, in extranei domini nexu ex regula consistebant. Sin femina ministerialis nupserat ministeriali extraneo, illud incommodi intercedebat, quod ministerium beneficiumque maternum, per matrem in liberos, ex extraneo patre natos, translatum, in homines alterius prouinciae transfret, cum interesse videretur, ministeria & beneficia seruare inter eiusdem prouinciae homines. Exemplis conuentionumque formulis haec firmare iuuat, quibus prospectum est, ne ministeriales alios, nisi eiusdem domini ministeriales matrimonio sibi iungerent. Wernerus miles, ob Burggrauiatum castri Trys in nexu ministeriali ecclesiae Treuirensis constitutus in charta anni 1277. 1) spondet, quod nos, liberos nostros utriusque sexus, tam genitos quam gignendos nullis aliis quam ministerialibus ecclesiae Treuirensis debebimus & poterimus matrimonialiter copulare, ne custodia dictae turris vel Burggrauiatus in praeiudicium ecclesiae Treuirensis & in laesionem deteriorationem vel diminutionem iuris ipsius ecclesiae ad manus deuluatur vel deueniat alienas, nec aliquis liberorum nostrorum aut heredum vel quicunque alius burggrauiatum praedictum tenere poterit vel habere, qui non sit ministerialis

1) in histor. dipl. Treuir. tom. I. p. 805.

sterialis ecclesiae Treuirensis. Eadem lege Henricum de Apolde in pincernam & ministerialem ecclesiae Moguntinae receptum esse legimus in charta anni 1269. m) *conventionis formula in haec verba concepta: promitto - - - quodsi unquam aliquam feminam de genere ministerialium aliorum quam ecclesiae Moguntinae duxero in uxorem, filii, quos ex tali uxore genuero, petendi & habendi Nomen & officium pincernae, quod mihi iam pridem praefatus dominus meus archiepiscopus Moguntinus contulisse dignoscitur, ius aliquod non habebunt.* Eadem lege Marcholfus, praepositus Achaffenburgensis, duos viros Burchardum & Druitmannum in charta anni 1127 n) *ministeriales sibi constituit & ex eis alterum pincernam, alterum vero Marscalcum ordinavit: ita ut si iidem praenominati viri legitimas de familia eiusdem ecclesiae uxores duxerint, & ex eis liberos procreauerint, qui inter eos maiores masculini sexus fuerint, eadem praedicta officia iure hereditario obtineant; & sic per singulas generationes in perpetuum sibi per eandem conditionem succedant.*

V.

Quamquam regulam exposuerim, liberos lequi conditionem matris ministerialis & per eam subesse domino eadem, cui suberat mater: ea tamen vniuersim non obtinuit, cum inter diuersos ministerialium dominos aliud saepe numero

m) apud dn. DE GEDENUS
l. c. tom. I. p. 917.

n) *ibid.* tom. I. p. 394.